



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. X. De Epistola Concilii Antiochiae super Haeresin Pauli Samozateni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

C A P. X.

*De Epistola Concilii Antiochia super Heresim
Pauli Samozaeni.*

Galienus quoque moriens *Claudium* habet successorem; qui in brevi moritur, *Aureliano* succedente. Cujus temporibus congregato apud *Antiochiam* Concilio, *Paulus Samozaenus* ultima animadversione damnatur, disputante cum eo *Malchione* quodam, perfectæ eruditionis viro, excipientibusque notariis. Quæ disputatio ita magnifice ab eo & accurate habita est, ut nunc quoque legentibus sit in admiratione. Iraque secundo jam manifeste *Paulus* hæreticus confutatur, datis epistolis *Dionysio*, Romano Pontifici, & *Maximo* Alexandrino; quibus hæresis & damnatio innotescit & mores; qualiter filium Dei negaret descendisse de coelo, sed à *Maria* cœpisse assereret, & initium habuisse de terra. Qualiter etiam *Psalmos*, qui in Dominum nostrum *Iesum Christum* dicebantur, cessare fecisset, velut neotericos, & nuper inventos; per semetipsum, vero compositos diebus *Paschæ* in medio *Ecclesiæ* canere fecisset mulieres, quas ipse, (horrendum auditu!) de se instituerat. Qualiter etiam incedens per plateam tali quadam ambitione uteretur, ut publice epistolas relegeret, atque in auditu omnium & oculis diceret, assistentibus sibi in platea Notariis, quamque superbe etiam tribunal in *Ecclesia* sibi multo altius, quam fuerat, collocasset, & verbum faciens, jactaret supra modum dextram, ac palmam fe-

mori illideret, pede quoque subsaltaret, & scabellum feriret, & more theatri ab auditoribus voces clamorosas & plausum expeteret; maxime impudenter etiam mulieres secum habitare permisisset, & Presbyteris & Diaconis, qui ei morem gerebant, similem dedisset licentiam.

CAP. XI.

De persecutione & morte Aureliani Imperatoris.

Igitur damnato & expulso ab Ecclesia, cum exire noluisset, publica manu, ex mandato *Aureliani* Imperatoris, *Dominus* nomine in Ecclesia Antiochena succedit Episcopus. Interea malis consiliis depravatus *Aurelianus*, persecutionem meditatur in nostros, eo usque, ut scriptis literis volenti subscribere, dextra Dei interuenerit, & scriptionem deturbauerit, fulmen quoque ante eum magno pavore circumstantium ruerit, ac non multo post morte subita condemnatur, *Aurelianus* regnat annos sex.

CAP. XII.

De Probo, Gajo cum filiis, & Diocletiano Imperatore.

Cui *Probus* succedit, cui & totidem annis consummato, *Carus* cum filiis *Numeriano* *Carinoque* succedit. Quibus in brevi consummatis, regnat *Diocletianus*: sed paulo ante imperium ejus, *Dionysius* Romanus Pontifex obiit. *Dionysius* Papa sedit annos IX. *Carus* cum filiis regnat duobus annis non integris.

CAP.